



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Antipharmacum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

*Antipharmacum ad Question. XIV.**& XV. Ex Luthero.*

LUTHERVS in confabulationibus Mensalibus. Man
sol die Sünde des Herzens / die heimlich vnd allein
Gott bekandt seindt/ beichten / denn die heimlichen
Sünden muß man auch beichten / die der Mensch all:
bereit wider die Gebot Gottes bey ihm beschlossen hat
zu vollbringen; *Peccata cordis, quæ sunt occulta: & soli Deo
cognita, etiam in confessione aperienda sunt; quæ homo iam
aduersus præcepta Dei patrare decreuit.* Idem dicendum de
malis cogitationibus, quibus quis directè vel indirectè
caussam vel occasionem, & (multo magis si assensio-
nem) præbuit.

Quæritur XVI. An possit homo omnia mortalia pec-
cata confiteri. Respondet Lutherus in Tract. de confi-
tendiratione; *quòd oporteat hominem desperare sese omnia
sua mortalia peccata confiteri unquam posse. Et doctrinam illam,
qua vulgatur in Ecclesia, ex Decretis, quod semel in anno o-
mnium suorum peccatorum (sicut sonant verba) debeat facere
confessionem omnis Christianus, aut esse diabolicam, & homi-
cidissimam, aut egentem multo & laxo interpretamento.
Oportet, inquam, non omnia confiteri, nec mortalia, nec
venialia,*

Antipharmacum.

I A M supra diximus: non esse necessarium, ut quis o-
mnia peccata mortalia confiteatur: sufficere, si ea sacer-
doti pandat, quæ post diligentem sui discussionem me-
moriæ occurront. Omnia venialia etiam cognita, ad
confessionem deferenda esse, Lutheri segmentum est,
non Catholicorum assertum.

Quæ-

Quæritur XVII. Vtrum peccata contra duo postrema Decalogi præcepta in Confessione sint enumeranda. Negat Lutherus in Tract. de Ratione confitendi, vbi ita scribit. *Ipsa Dei præcepta breuiter sunt inspicienda, in quibus sine dubio omnia peccata continentur, si recte intelligantur. Nec tamen hæc omnia, sed ultima duo prorsus à Confessione sunt excludenda. Confessio enim breuis esse debet, & eorum potissimum peccatorum, quæ præsenter mordent, ut dicunt, qua mouent ad Confessionem.*

Antipharmacum.

Et tamen in Colloquiis Mensalibus monet absolute Lutherus, vt confessurus Decalogum percurrat, nulla noni & decimi præcepti exceptione facta. An concupiscere domum proximi sui; An desiderare vxorē eius, seruū, ancillam, bouem, asinum, & alia quæ illius sunt, (quorum appetitionem verat nonum & decimū præceptum Catalogi in Catechismo Minore Lutheri) non sunt peccata in schola Lutheri: si vt supponitur, eiusmodi cupiditates sint voluntariæ? Si peccata sunt; ergo morbi sunt; ergo per Cōfessionē & absolutionē curāda.

Quæritur XVIII. Quomodo ipse Lutherus confiteri consueuerit. Respōdeo, hoc nobis explicari ab ipso Luther in Colloq. Mensalibus Tit. de Confessione: *Meine Sünde/die ich beichte/ sind/dass ich nicht zu vil bete/ auch Gott nit zu vil dancke/vnd zu weilen zürne/vnd Herzog Georgen fluche. Peccata mea, quæ confiteor, sunt ista: q̄ non nimis multū orē: nec Deo nimis multas gratias agā, quodq; interdum irascar, & Duci Georgio maledicta dicam. De perpetua scortatione cum Moniali nullum verbum. Qua de caussa? Obscro, cur Lutherus non obseruauit cōfītēdi modū, quē aliis præscripsit in Serm. Sympos. & in libro de Recta cōfītēdi ratione? Qualis Lutherus furia fuerit*